

D. 4481 (60)

EMBLEMAS,
E
POESIAS,

Com que se adornou a Caza Professa

DO BOM JESUS DE GOA,

*Quando nelle se celebraraõ
as Exequias*

DO ILLISTRIS. E EXCELLENTIS. SENHOR

D. LUIZ
DE MENEZES

*Conde da Ericceira, Marquez do Louriçal,
segunda vez Viso-Rey, e Capitaõ Ge-
neral do Estado da India.*

EMBLEMAS

P O E S I A S

C O M D R A M S O C H O L O N I C A S P R O F E S S I O N

D E B O N A T E R E S E S S I O N C O

A U T O R I T A D E S A L T A R I A

E S T A D O S D E L A V I G A

P R I M A R I A E P R E C E S S I O N E S P R O F E S S I O N

D E M E N T I A

D E M E N T I E S

C O M P A Y O N I M A S Y M B O L I C A S D E L A V I G A

C O M P A Y O N I M A S Y M B O L I C A S D E L A V I G A

M A Y O D E L A V I G A

L.
ILLUSTRISSIMI, ATQUE EXCELLENTISSIMI
D. D. LUDOVICI CAROLI
DE MENEZES
ELOGIUM FUNEBRE.

Quantulus regit lapis;
Quem nulla non reteget Historia;
Nulla non ætas:
Urna hæc, Viator,
Ludovicum Carolum de Menezes
Comitem de Eryceira
Marchionem Lourisalis,
Bis Pro Regem Indiæ,
Virtutis Emeritum, Immortalitatis Alumnum;
Ereptum tempori custodit æternitati.
Natalem Lusitanæ, Uxorem Galliæ;
Virtutem, Imperia, Felicitatem
Debet sibi.
Maiores sortitus, quos talis deceret soboles;
Fulgorem natalium claritate Facinorum cumulavit;
Avorum titulos,
Novo titulo adauctus,
Transmisit ad Posteros.
Arma tractavit, vel cum ferre vix posset;
Posuit militiae rudimenta victorias:
Vix Ephebus
In Campum Maiorem per medios hostium cuneos
Præsidarium Militcm dum immittit suppetias,
Arcem eripuit periculo, Hosti viðoriam.
Nullam non lauream consequitus,
Seu cùm in Europâ diceret Militem,
Seu cùm in Indiâ ageret Ducem.

Pene Exephebus Indiæ Pro Rex
Arabum Classem , & vires ,
Dum profligat in ipso Poitu ,
 Cogit pati naufragium .
Publicæ felicitatis Pater
Nihil in suá magis amavit fortuná ,
Quàm quòd prodesse , non solum Miseris ;
 Sed et felicibus posset .
Paratus beneficia donare vel Injurio :
Bonis æque benignus , ac severus malis ;
 Profusus in pauperes ,
Id unum in divitiis habuir charum ,
Quòd posset sine vicio prodigere .
 Dei clientelam obsequio ,
Hominum amorei coitate ,
Reipublicæ incrementa consilio ,
Hostium admirationem fortitudine ,
Orbis desiderium suis virtutibus
 Occupavit :
 Ex in Ludovico
Non senio solum , sed et infantià caruere :
 Amica medijs virtus .
Gallia Regnum , ac Regem
Præconem sui habuit magnificum ,
 Noluit munificum :
Memor quid deberet Patriæ , quid suo Regi ,
Posthabitá Gallicā Munificentia ,
Regi suo litavit , ac Patriæ
 In eam redux
Semper se sibi parem probavit ,
Qui virtutibus suis utramque fortunam
 Erudiit .
Maiorum omnem cujusque litteraturæ gloriam
Suam fecit , dum Encyclopædiam confecit ;
Gladium innectens calamo ,
Cæsarem restituit nostro sæculo ,
 Regiæ

Regiæ Uiyssiponensis Academiz,
Novi Lusitaniz firmamenti,
Stellam dicam, an Solem?
Gallum, si Gallicè loqueretur;
Si Italicè, Italum; Romanum dices, si Latiné.
Ex otio operoso
Revocavit in Indiam,
Fluctuanti Indiæ
Par procellæ Dux datus:
In eam vix appulit,
Devicto Boucellon'io,
Ex Bardesii Provinciâ restauratâ,
Regimen triumphis auspicatur.

At Heu!

Quod pervenit ad summum, festinat ad exitum:
Qui serò venerat, maturè abit.
Qui nullus fortunæ casus non declinaverat,
In Indiâ Tumulum non potuit declinare.
Indiæ incolumitati dum prospicit,
Deest suæ:
Quem vincere Bella non poterant,
Oppressere victoriæ.
Infensissimum Hostem Marattam dum conficit;
Deficit, an triumphat?
In Oriente novus Sol occidit, dum occidit,
Perit, dum Perimit.
Clarissimo Imperatori id ipsum fuit vincere,
Quod vivere:
Nisi quòd cum jam desierit vivere,
Adhuc vincere non cessavit.
Non prosunt alij, nisi quandiu sunt;
Optimi prosunt etiā, quia fuerunt.
Numini debet Rex Indica, quòd non perierit;
Ludovico, quòd cœperit triumphare.
Imperium Indicum restaurare
Post Ludovicum jam liceat omnibus;

Quod

Quod ante ipsum licet nemini:
At, si quæ posthac felicitas oriatur;
Posthuma sit, Patre sepulto.
Si victoria morte Ducis pensanda erat;
Non donatur à superis, dum tanti emitur:
Nec centum Palmæ unam æquant cupressum
Nec mille Triumphi ununi Funus.
Eum India amisit Principem,
Quem vel Privatum
Non sine luctu publico tumulasset:
Et quæ justa optimo Principi
Negare, nisi injusta, non posset,
Dum persolvit Parentalia,
Amisisse se Patrem profiterur in Principe:
Fer India, de cordis ardoribus Rogo suppetias:
Eum Patria amisit Civem,
Qui nusquam nec illaudatus possit,
Nec illacrymatus esferri.
Eum Christiana Respublica Assertorem;
Qui sine omnium damno mori non posset,
At tot laureatum titulis, ac victoriis,
Tanto populorum luctu,
Tantá Reipublicæ, ac Religionis jacturæ
Tanto Bonorum omnium desiderio occumbere;
Non Mori, Triumphare est,
Æternum vivit, qui sic moritur.
In communi jactura communis sit luctus;
Unus in communi luctu
Cælium videat cæsus,
Cui additur Incrementum.
Ea jactura
Minori compensari lucro non poterat.
Tanto funeri Præfice
Omnes adsint virtutes:
Omnes riserunt in vivo;
Omnes lamententur in Mortuo;

Gou

Misce

Misceat lacrimas et JESU Societas ;

Atque æternum merito Principi,

Amoris , ac Doloris pignus

Ponat grati animi Monumentum :

Annos Ludovici si à rebus gestis recenseas ,

Non è mensibus , sed è sæculis

Credes esse conflatos :

At diu non retinuit Animam ;

Quia habuit pretiosam , furto locus est factus :

Decimum lustrum vix excessit :

Indiæ votis vixit parum ;

Virtutibus , Gloriæ , sibi , satis diu :

Sat diu vixit , qui sat bene.

In Divi Antonij pervigilio migrat è vitâ ;

Ut eum viæ Ducem haberet ad æternitatem ,

Quem eo die anno superiore ,

Relatà à Boucellonio victoriâ ,

Ducem habuit ad nominis immortalitatem .

Ad Divi Xaverij tumulum tumulatur

Heliotropium ad solem suum ,

Anno salutis M. DCC. XLII.

Heu ! Quantus vir quantulâ urnâ tegitur !

Metire , Viator , & memor abi.

